Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36535
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

tantum prudens est quantum temperans fortis & iustus. tantum
temperans quantum prudens fortis & iustus tantum iustus quan
tum prudens temperans & fortis fuerit. Et mensura est ciuita
tis de harundine per stadia xii milia. Iam ciuitas ecclesia intelli
gitur. harundo doctrina euangelica. Porro per stadia xii milia
omnes exprimuntur labores in ecclesia. Per stadium quippe illud intelli
gitur quod in stadio agitur. id est locus labor & premium laborantium. Hinc
paulus dicit. Nescitis quod hii qui in stadio currunt omnes quidem
currunt. sed unus accipit brauium. Laborant itaque electi in
stadio. hoc est in labore presentis uite. ut brauium superne remu
nerationis possint percipere. Nam & per xii milia. summa elec
torum exprimitur. Duodenarius enim numerus idcirco perfectus
habetur. quia ex denario & binario constat. Denarius pertinet ad
decem legis precepta. binarius ad duo dilectionis precepta in quibus
tota lex pendet & prophete. Siue idcirco perfectus habetur. quia
ex partibus septenarii conficitur. que sunt tria & quatuor.
Ternarius enim ad fidem sancte trinitatis refertur. quaternarius
ad quatuor euangelia. Millenarius quoque numerus perfectus os
tenditur. quia denarium numerum quadratum solidum reddit. De
cies deni centum, [decies centum] mille fiunt. atque idcirco millenarius nume
rus perfectus est. Unde dicit. Verbi quod mandauit in mille gene
rationes. id est quas generationum uniuersitas exprimitur. Quia
igitur duodenarius siue millenarius numerus in sacro eloquio
pro perfectione ponitur. recte in xii milibus summa perfectionis illorum
exprimitur. qui decalogum legis cum dilectione dei & proximi
impleuit. fidemque sancte trinitatis custodiunt. & hoc secundum
auctoritatem quatuor euangelistarum. Hos metitur deus omnipotens
harundine. quia unicuique secundum capacitatem sui intellectus
distribuit doctrine scientiam. omnes quos tangit
in his que acceperunt perfectos ostendit. Et unusquisque